Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-septimâ Januarii.

M. BERTINO SIMONE DIEUXIVOYE, Doctore Medico, Præside.

An functiones à fermentis?

MEDICUS sensualis [a] Physicus, totus naturæ servit. Naturam ducit ipsius *Dei digitus*, summa creatoris [b] lex atque voluntas. His famulando Medicus, numen ipsum æmulatur, qua ratione *ieiunet* [c] audit. Hinc quam maligne invehuntur in artem nostram, qui Medicos tamquam numinis osores calumniantur. Si cætera Deum silerent, fidem cogeret medicina, creatoremque palàm profiteretur. Ea est quæ *invisibilia* [d] *Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicit*. Hæc tractat, hæc meditatur. Sic ergo insultant qui tale Dei donum minùs novere, *Medicinam enim crearit* [e] *Altissimus & solus imprudens abhorret ab illa*. Ipsæ medendi leges ab eodem profectæ videntur. Sensus homini dedit ad ipsius tutelam; iidem in medelam homini veniunt. *Ignem* [f] *& aquam* huic apposuit, ut *ad quæcunque vellet porrigeret manum*; ità contraria per quæ medetur, intellexit. Sic hominem Deus condidit ut vel sensibus pareat, unde vivat, & unde moriatur. Causas vivendi sentit homo. Nec est unde quis cavillando suggillet quod *calido, frigido*, [g] *humido, sicco*, juvat aut nocet: nihil enim fortè magis compertum habet, aut [h] exploratum. Sed & sic sensibus est obvia partium symmetria, sic aperta est humorum commercia, ut vel oculi mederentur; hac scilicet divini [i] sensi lege qua aptus est ad medendum, qui aptus est ad cognoscendum. Hisce rebus ac legibus vita continetur, his sanitas refarcitur. Non ergo primas & abstrusiores rerum causas scruretur Medicus: his indagandis incumbat philosophorum garrula gens, quibus otiari libet: sed hæc nihil ad nos, absconditi enim natura. Densis ejusmodi tenebris immorari quid juvat? Cur hìc incassum fuperbit homo? Quin potius quæ ante pedes [k] jacent inspiciat Medicus, ex his suam instituat artem. Si functionum (quæ secretionibus maxime constant) rationes inquirat, num quot olim Ethnicis numina [l] tot sibi finget fermenta? num hìc fermentorum turbâ, gentilium more, [m] quasi januis ac postibus assistrices intelligentias præficiet? Mutatoria non amat natura. Hæc sumptui parcens ut compendio semper, [n] sic simplicitati studet. Una & eadem lex est, quæ functiones regit, quæque sensibus afficit, partium nempe concinnitas miraque structura. Corporis partes continent, aut continentur. Illæ infinitorum vasculorum [o] congeries sunt. Hæ variis & variæ [p] configurationis constant moleculis. Hinc succorum quibus vivimus varietas; hinc diversi scaturiunt humores. Nihil hìc quod non vasis contineatur, nihil nisi per vasa elabitur. Corpus est undique permeabile, hoc ex æquo pervadunt humores. Quid inde? Corpus humanum non secus ac incerniculum [q] quoddam qualibet sui parte pervium est. Hoc infinitas & varias sanguinis particulas assiduè motat ac decutit. Sanguis parte rubrâ [r] & albâ constans, non simplex est & unus [s] latex: tot condit portiones quot habet partes aut fovendas aut alendas. Crassiores habet & subtiliores, graviores & leviores. An ineptiret qui *biliosas, melancholicas, sanguineas, pituitosas* diceret? (res enim non verba venamur) nihil moror; modò dulces, pingues, & benignas [t] eas statuat. Quam enim sanguini sit amica mollities & dulcitudo, fidem extorquet rerum parens, quæ & in utero corpus humanum ex succo lacteo [u] fingit, idem & in lucem editum uno alit, augetque lacte. Apage ergo tot inutilia salium connubia, otiosarum sæpè mentium fœtus; ejusmodi forte [x] principiis non constat, quo vivimus humor. Hìc quidem habet diversitatem non feritatem. Imo, an variæ illius particulæ salium, sulphurum &c. nominibus venire debeant, quid ad nos? isthæc forte suavia sunt blandientis sibi phantasiæ commenta, aut certe talia fabricavit chymicorum [y] ignis, non ipsa instituit natura. Rerum autem discrimina inquirimus, non facimus. Partium ergo sanguinis varietas à motu, configuratione & certâ quadam cum partibus cognatione pendeat. Et revera hæc commendat oculorum fides. Hi microscopiis [z] armati partes deprehendunt in sanguine plan-ovales, globulosas, majores, minores, volubiles, huc illuc variè tendentes, solutas, laxas [aa]; sero cuidam innatantes, tandem non tam unitas seu confusas, quàm [bb] contiguas. Quid cribro, quid incerniculo accommodatius? quid aptius?

EODEM pertinet, continentium partium apparatus. Totum quod habent aut excretioni vacat, aut eam invitat. Ipsa epidermis infanti [a] cœtanea, quamque vel à matre rubens fœcum in lucem affert, tota oscillis est pertusa. Ut enim suo sanguis calore [b] fovetur, sic & suos patitur ignes. His natura ne periret vivens, talia paravit effugia: iisdem quotidie, vel ad libràs [c] aliquot, sanguinis roscidus humor & halituosus continenter elabitur. Quin etiam cadente morbo, quidquid in sanguine superest vitii, ejusmodi spiraculis foras amandaretur: at morborum reliquias tempori, Medicorum Coryphæo, maturandas tradere, non multi norunt Medici; imo insanâ sæpè medicandi intemperie, naturam à scopo dejiciunt. Adeo paucis datum est à remediis oportunè [d] feriari! *Sed ne extra oleas.* Membranas quallibet glandulis [e] esse consertas, vel oculis notum est. Vitrea similibus glandulis aut vesiculis sunt constata. Tandem omnes partes, tubulorum compages sunt & coagmentatio. Porro, si varias glandularum configurationes tibi fingas, si cogites quanta sit vasculorum, quantaque foraminum diversitas, quid cribro propius accedit? an ovum ovo similius? sed & huc suum cor [f] confert fymbolum. Insigni quo valet musculi robore, antliæ vices gerit, vi qua pollet emboli, sanguinem urget, premit, & in partium ostiola cogit; manum diceres quæ materiem quassat, & incerniculum. Huc collimant & vasa. Arteriis [g] à corde recedentibus, aliquid accedit capacitatis; contra verò aliquid decedit venis, ad cor properantibus. Sic, sanguis è corde tamquam è specu [h] potus enormis. Adeo vertum est, nihil in corpore fieri, nihil fecerni, nisi à molli & lento [y] humorum motu, aptâque & mechanicâ partium structura.

NEC quisquam hìc cauſetur fermentorum necessitatem, quasi his constaret tota corporis œconomia. Jam enim *acymorum* non sunt, quibus vivimus, dies: imo satis est hodie fermentorum, [a] quibus vel totus ebulliret orbis. Fermentum humusque fœculi idolum est, cui omnes litant. [b] Spirituum animalium fons arescere in cerebro, nisi nascenti obstetricaret [c] spiritus quidam armoniacus. Bilis intra sanguinem æternùm lateret, nisi præcipitatorium susciteret [d] iecur; aut tale quiddam à liene [e] tanquam appendice mutuaretur. Langueret concoctio, si suo acido esurino fraudaretur. In novi diluvii discrimen veniret microcosmus, nisi serum quo vehitur sanguis, arte simili renes [f] emulgerent. Ad metam cito festinaret humana proles, nisi perfectivum daretur seminis [g] fermentum. Cor [h] fermento pulsat, eodem arteriæ micant, tandem si verbis adhibenda fides, fermentum est quo vivimus. Medicus totus in fermento: coque mirè tumet. Si quandam in cadavere [i] subolfecerit fracedinem, statim fermentum conclamat. At fermentum in corpore sano, rara prorsus avis. Nec citiùs ad finem vita properabit, si ad pistores, cupedinarios, crustularios, tandem officinas ejusmodi farricula relegentur. His cupedias & scribitas apparent, tali suppellectili, tali merce non indiget corpus humanum. Hæc obtrusere nobis chymici, qui medicinam ad metalla damnarunt. Iis quia fusionis, præcipitationis & fermentationis vocabula nota sunt, hæc omnibus affingunt, idem calopodium omnibus aptantes; sed quanto malo, norunt, quos non latet quam sæpe infelices [k] sint artis nostræ simii. Ecquis enim ignorat, quam parum conveniant cum medicina artis chymicæ mores; hæc officinam, non naturam sapit: fictilia quibus utitur vasa, quâ lata, quâ spatiosa, fermentationi & præcipitationi servire possunt; quid enim fi dissiliant? parum, si tantùm hæc parte multareatur artifex: at in tubulis angustis [l] & exilioribus quibus continetur humorum, exhorbare satagent.

SED an explodenda chymicorum Principia, an ejuranda fermentorum doctrina? his indulgendum, non serviendum. Utamur, non abutamur. Chymicis laboribus multum debet ars Medica. Licet enim chymia Medicum non faciat, aptiorem tamen medicinæ reddit, [a] juvatque exercendo artificis ingenium. Hac parte interim lubrica, quòd non infrequenter istius artis experimenta parùm [b] naturam referant. Sed saltem ea est, quæ doceat, quantùm nocet in corpore ignea vis, qua ratione, quo analogismo sanguinem deterit. Hinc discet Medicus humorum incendia præcavere, eadem restinguere. Quorsùm enim, omnino labente veterum disciplinâ; caloris [c] memoria prorsus obliteraretur? hoc fortè vivimus, hoc saltem sæpe morimur. Nec est quod quis rideat. An quæ de calore majores nostri prodiderunt, minus hujus temporis culturæ [d] respondent, an omnino dissonant? calidum veterum, in *acidum, volatile, sulphureum* facessat, quid inde? *ebullitionem* dicas, veterum ardorem. Esto, aptiora sint verba, palato magis sapiant, quid ad artem; si tutiùs medebantur indoctiora quidem [e] sed sapientiora priscorum sæcula? calori quivis insultet, hunc rideat quilibet, modo ebullitionum impetus, acidorum collisiones, volatilium iras atque furores reformidet. Calorem non compescat, modo volatilia reprimere, ebullitiones sedare, salia studeat mergendo diluere. Sic lis componitur. [f] Sic veterum elucidantur, non mutantur dogmata. His autem repudium qui diceret, obnoxii [g] prorsus animi & infelicis ingenii argueretur, indecorum enim diffiteri per quos profeceris. Medicina & religio; artes [h] imperiosissimæ, hâc parte conveniunt, quod utraque mutuetur à traditione cum dignitate authoritatem. Imo in medicina usus [i] & experientia dominantur. Ergo ut veteribus reservatur honos, sic & sua chymiam maneat dignitas. Sic miremur [k] antiquos ut tamen temporum nostrorum ingenia non despiciamus: non enim ità lassa est & effæta natura, ut nihil jam laudabile pariat. Non ergo abdicanda fermentorum doctrina, sal tem in morbis locum invsniunt. Morbi causa, [l] venenata quædam est pernicies. Venena quam parva mole [m] lædant, res est confessa. Tantillum est quo vipera necat: rei vix est umbra, id quo ferit apis: ne punctum diceres quo scorpius offendit: tandem vel odore solo quædam venenare ferunt. Sed hæc silentium commendet. Ita quantillum sit, quo ægrotamus, quam exigua sint magnorum morborum initia, attendenti patet. Vix hilum est, quo quis in rabiem agitur; [n] animi pathematis, visu, odore, morbos concipimus. Abortus causa sit odor à lucernarum extinctu, *tanti* [o] *quivis perire potuit*! hæc mole minima, virtute maxima, fermentis accenseri possunt. Odor acutissimos [p] morbos parit. Hinc à febribus liberant aphthæ, ulcuscula, exiliores labiorum pustulæ. Aura subtilis chronicos incæptat, hinc illos conficit absque [q] purgatione *cortex peruvianus*, eosdem revocat cautè etiam instituta *catharsis*. Hæc, sæculi delicium, raræ necessitatis est in acutis præsidium. Sæpe plus nocet [r] quam prodest; insidiose juvat. Tantulum enim fermentum, vim eludit medicamenti; hoc crabrones irritat, crucemque figit Medico. Si quisquam prætexat alterum hujus sæculi idolum, serosam colluviem, is morbi, forsan & remedii productum [s] lacessit. Umbram ergo pro corpore, nubem pro junone sumit & amplexatur. Sed hæc parerga ne quis dicat, hinc enim saltem constiterit solis morbis fermenta competere. At de spiritu [t] si quis rogaverit, quasi *menstrui* cujusdam *alcahestini*, seu fermenti cujusdam publici nomine veniret; hæc audiat. Spiritus quidem ea est necessitas, ut eo fatiscente omnes corruant functiones. Sed quàm parum illi conveniat fermenti ratio hinc liquet; in eo stat fermenti natura ut alteri obvium cum eo luctetur. Fermentum habet quid heterogenei, [u] quid peregrini, quid agrestis; hinc rixari amat, seditiones colit: ideoque istius indolis *acidum* & *alcali* finxit serior ætas. At verò spirituum quanta sit cum sanguine cognatio, is novit quem non latent parentis & nati amicities & necessitudo. Spiritus à sanguine natales habent, res ergo sic consanguineas, luctari seu fermentescere qui dixerit, is profectò jurgia nectit. Spiritus in corpore aeri comparatur. Ille aer est internus, hic spiritus externus. Aeris miracula nemo nescit. Hoc solo sæpe plantæ vegetantur; sic sempervivum, squilla & similes bulbi à terra, [x] licet tamquam ab ubere depulsa, tamen infigniter crescunt. *Terræ mortuæ*, [y] quas vocant, aeri commissæ novos ab eo sugunt sapores. Aere solo per hyemem vivunt æranceæ. Sæpe hoc uno epulantur serpentes [z]. Cum cuncta gelu rigent, suis in aquis perirent pisces [aa] nisi arte quadam iis aeris forbendi copia daretur. Quid quod animalia fere defuncta, aere [bb] per ductum thoracicum inspirato, statim revalescere videntur. Itaque plurima sunt etiam apprimè necessaria, quibus valederent vivenda, aeri nunquàm. Is vel ipsas vitæ causas [cc] sufficit, attamen aerem fermentum quis dixerit? vim aeris à *nitro* [dd] profectam non pauci suspicantur, nemo probavit. Aerem fermentationi [ee] servire, palam est. Illum verò fermentum esse quis demonstratione firmavit?

Ergo functiones non à fermentis.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes Gelly. *M. Joannes-Baptista-Gabriel Fressant.* *M. Michaël Sauvalle.* *M. Ludovicus Piquenot de Dragueville.* *M. Claudius Burlet.* *M. Alexander-Petrus Mattot.* *M. Nicolaus de Jouvanci.* *M. Germanus Preaux, Professor Regius.* *M. Petrus Daquin.*

Proponebat Parisiis PHILIPPUS HECQUET, Abavillæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.

F.M. BIBLIOTHECAIRE

1475